

_Lettera_N_3643

Al papa Leone XIII

*Taurini, die 16 junii 1882

Beatissime Pater,

Jam nonus annus agitur, ex quo, Beatissime Pater, humilis societas a S. Francisco Salesio dieta, absolutam et specificam constitutionum adprobationem consecuta est. Aliqua privilegia omnimode necessaria a Supremo Ecclesiae Antistite tunc elargita fuerunt. Hoc temporis decursu socii Salesiani toti in eo fuerunt, ut eorum constitutiones ad praxim traducerent, novitiatum, studia perficerent, pietatis exercitia inter socios eorumque alumnos promoverent ut ita societatis finem consequerentur, qui gloria Dei, lucrumque animarum semper fuit.

Post absolutam adprobationem, adjuvante Deo, factum est ut haec humilis societas, vere pusillus grex, mirum in modum citissime in diversas Italiae partes, in Galliam, in Hispaniam, in Americam Meridionalem usque ad Indos et ad Patagonias sese extenderit.

Cum haec Congregatio suam adprobationem est consecuta, sexdecim domos dumtaxat habebat in quibus septem millia circiter adolescentuli christianam educationem habebant: socii tercentum adnumerabantur.

Nunc vero domus sive familiae alumnorum sunt centum quinquaginta; alumni ultra centum millia, religiosi quadringenti supra mille.

Inter tot alumnos et socios, inter tot domos unam ab aliis dissitam magnam difficultas exorta est ob deficientiam privilegiorum quibus cetera ecclesiastica instituta gaudere solent.

Quapropter remature perpensa, habito consilio a viro prudente et auctoritate praedito, Privilegiorum Communicatio pemecessaria dijudicata fuit. Necessitas et rationes hujusmodi postulationis separatim exponuntur. Privilegiorum vero Communicatio petitur non in genere sed speciatim cum Oblatis Beatae Mariae Virginis quorum Congregatio definitivam adprobationem et Communicationem Privilegiorum cum Redemptoristis obtinuit a felice recordatione Leone XII sub die 12 septembris 1826 his verbis:

Superiorem Generalem, et Oblatos specialibus favoribus et gratiis prosequens omnia, et singula indulta, privilegia, indulgentias, exemptiones et facultates Congregationi SS. mi Redemptoris concessa iisdem Oblatis, eorumque ecclesiis, cappellis et domibus benigne communicat, extendit, atque in perpetuum elargita cum omnibus clausulis, et decretis necessariis, et opportunis.

Nunc vero quum nostra humilis Societas sive quoad constitutiones et finem, sive quoad messem in evangelico agro colendam praelaudatis Congregationibus assimilar! possit, eadem etiam privilegia suppliciter postulantur.

Hisce breviter adnotatis, Salesiani omnes ad pedes tuos provoluti, Beatissime Pater, supplices postulamus ut nostrae Congregationis Communicacionem concedas Privilegia, facultates, gratias spirituales, quibus generatim aliae Congregationes et nominatim Congregatio Oblatorum B. M. Virginis fruuntur.

Hoc est: "Perinde ac si specialiter et expresse, ac pariformiter et aequè principaliter Salesianae Congregationi concessa fuissent tamquam de verbo ad verbum expressa et inserta fuissent et specialem mentionem requirerent".

Per hujusmodi communicationem, Beatissime Pater, Salesiana Societas tutam et cognitam viam habet quam sequatur; facillime Ordinariis Locorum innotescunt privilegia, quibus fruatur praecipue in Missionibus suscipiendis, et domibus in exteris regionibus adaperiendis.

Ob tale et tantum beneficium Salesiani omnes grato animo Deo et tibi quotidie laudem dicent; unusquisque privili parte ad vineam Domini excolendam operam dabit.

Ego vero videns solidatum opus, quod Sancta Dei Ecclesia mihi concredidit,

cum gaudio cantabo: Nunc dimittis servum tuum, Domine.
Sac. Joan. Bosco
Rector Maior